



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Christiana Et Docta Divi Alchimi Aviti Viennensis  
Archiepiscopi, & Claudij Marij Victoris Oratoris  
Massilie[n]sis, poëmata, aliaq[ue] non poenitenda**

**Avitus, Alcimus Ecdicius  
Marius Victor, Claudius**

**Lvgdvni, 1536**

Capvt XVII [i. e. XVIII].

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12149**

Et quæ nota tibi vel quæ percurſa legendo  
 Ad virtutis opus ſtudio conuerte virili.  
 Nam niſi doctrinæ iungatur vita fideli  
 Maiores faciet coniuncta ſcientia pœnas.

## CAPVT XVII.

*Marci.ii.* **E** Suriſt quondam Chriſtus, quum forte vianti  
 Conſpicitur diſfuſa leui ficulnea fronde.  
 Nec iam maturum præbens ex arboræ fructum.  
 Præteriens obiter Chriſtus mox vt videt illam  
 Indutam tantum folijs ſed germine nudam,  
 Prorſus in hacce virens ornatus inutilis horret.  
 Tum ſubito quatitur radix afflata calore:  
 Aruit & poſito ramorum tegmine truncus.  
 Nec vero immeritam temere ficulnea pœnam  
 A Chriſto maledicta luit: nos inde docemur  
 Ne vanum præ ſe tumefacta ſcientia nomen  
 Noſtra ferat, ſed iuncta ſibi dilectio ſubſit.  
 Nam ſi Chriſticolas noſmet ſanctosq; putamus  
 Aggrauat hoc etiam nomen ni facta ſequantur.  
 Sic & virginitas ſacro deuota pudori,  
 Indiget adiunctis virtutibus: & niſi mentem  
 Intactam ſeruans caſto cum corpore iungat,  
 Succumbit vitijs, nec caſtam dicere carnem

Iure

Iure potest: animus quam si corrumpat adulter,  
 Ira, furor, mœror, liuor, discordia, luxus,  
 Lingua duplex, cōstricta manus, laxata volūtas,  
 Mœchantur cū corde hominis: tū semine mortis  
 Fœtus mortis alunt, en quo perducitur omnis  
 Nomine virgineo quæ se dum iactitat intus,  
 Criminibus grauidam nescit turgescere mētem.

## CAPVT XIX.

**E**Cce tibi è multis vnum quo cætera noscas  
 Exēplū. Dominus plebē quū forte doceret,  
 Peruigili cura supremo attendere finī,  
 Cœlorum regnum quę Christi ecclesia sancta est *Matthæi. 25.*  
 Virginitibus sacro signatis Chrismate confert.  
 Quarum quinç; ex his sapientia diues adornat,  
 Quinç; alias stolido declarat inertia sensu:  
 Quas dum sub noctem requies cōplectitur vna  
 Atq; obitum signans captiuat lumina somnus,  
 Ecce autem medio taciturnæ in tempore noctis  
 Perstrepuit subitus, rupitq; silentia clamor:  
 Tandem sponsus adest, de corpore torpor inertī  
 Abscedat, sapidæ raptim properate puellæ:  
 Vnāq; quæq; suo procedat & obuia sponso.  
 Protinus exiliunt omnes, stratiscq; relictis,  
 Aptauere